Noverint universi quod die sabbati hora paulo ante prandium nona decima novembris anno a nativitate domini millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto Guillelmus Ledon clericus et ebdomedarius ecclesie monasterii sancti Danielis et procurator eiusdem monasterii sancti Danielis Gerunde prout constitit cum instru-
mento electo per in Christo venerabilem patrem dominum et dominum Beregarium dei gratia episcopum Gerunde habentem super hoc potestatem in hoc casu per commissionem olim factam per dictum episcopum Gerunde et dominas abbatissam et conventum monasterii antedicti de qua procuratione constat quodam publico instru-
mento confecto Gerunde vicesima die septembris anno a nativitate domini millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto in posse Raimundi de Bruguera notarii Gerunde constitutus personaliter intus hospitium inclite venerabilis et discreti Bernardi de Burdillis [illegible] legum doctoris civis Gerunde inhabitat in civitate Gerunde
in presentia et coram honorabili Petro de Costa baiulo Cathalonie generali in dicto loco personaliter existente in presentia mei Francisci Viadi notarii infrascripti et testium videlicet Berengarii de Columbario et Jacobi Coffa de Gerunda ad hoc specialiter vocatorum obtulit et per me dictum notarium legi fecit
dicto honorabili Petro de Costa et coram eo quandam cedulam papiream cuius tenor dinoscitur esse talis. Cum per privilegia regia antiqua monasterio sancti Danielis Gerunde et hominibus eiusdem monasterii concessa antiquitus et confirmata per illustrissimum dominum Petrum regem regnantem et eius prede-
cessores et per usum et observantiam antiquam notorie et diutius observatam homines dicti monasterii et quos ipsum monasterium habuit et habet in baiulia vicaria et diocesi Gerunde fuerint et sint liberi franchi et immunes ab omni exercitu et cavalcatis regalibus et omni hoste et cavalcata tam Aragonensium vel
aliarum gentium transeuntium per terram vel mare et etiam ab omni bovatico questia et tolta vel forcia et ab omni servicio quocumque sive aliquid contra ipsos homines dicti monasterii vel feminas non possit fieri vel acceptari nec aliquid ab eis exhigi peti vel haberi. Vos tamen honorabiles domini Petre
de Costa baiule generalis Cathalonie et Bernarde Margarit civis Gerunde asserentes vos habere in hac parte potestatem ab illustrissimo domino rege de facto et contra ius et iustitiam et contra privilegia et libertates dicti monasterii et hominum eius et libertatem eorum et in eorum preiudicium et gravamen compulistis et
compellatis et compelli faciatis et fecistis homines dicti monasterii et eorum quemlibet ad solvendum vobis et cuilibet vestrum pro quolibet dictorum hominum viginti tres solidos et etiam quantitates petitis et hoc pro hoste sive pro redemptione exercitus sive hoste et quos decem tres solidos pro quolibet ipsorum hominum vultis et intenditis exhigere
petere et habere et propter hoc ipsos homines fatigavistis et fatigatis et fatigari fecistis et molestari laboribus et expensis eos pignorando et pignorari faciendo et multiplicando [illegible] contra libertatem privilegia regia eis et dicto monasterio concessa et quibus usi fuerunt ab antiquo et antiquitus et per tantum
tempus spatium de cuius contrario hominum memoria in contrarium non existit et non fuerit nec sit intencionis domini nostri regis privilegia libertates et immunitates dicti monasterii vel suorum hominum eis concessa vel concessas infringere vel contra ea ipsos homines molestare vel gravare cum privilegia principis
oporteret esse mansura. Ideo Guillelmus Leronis clericus et procurator dicti monasterii et venerabilis domine abbatisse et conventus eiusdem pro conservatione iurium et privilegiorum et libertatum dicti monasterii et dominarum eiusdem [illegible] requirit vos dictos venerabiles dominos Petrum de Costa baiulum generalem et Bernar-
dum Margarit et quemlibet vestrum quod a predictis gravaminibus molestiis cessetis penitus et desistatis et quod homines dicti monasterii non molestetis ad hostem vel cavalcatam [illegible] faciatis nec aliquid pro redemptione hostis vel cavalcate in peccunia vel alias ab eis exhigatis nec exhigi faciatis
nec eos [illegible] pignoraretis vel fatigetis immo si qua contra eosdem homines dicti monasterii vel eorum bona occasione predicta pressistis de facto vel aliquid exhegistis ea revocetis et revocari faciatis et ea eis et eorum cuilibet restitui atque reddi nec eos vel eorum aliquem ulterius molestetis vel fatigari occasione predicta
faciatis immo eos et dictum monasterium in eorum libertatibus et privilegiis et franchitatibus conservetis et non permittatis aliquid contra dicta privilegia vel libertates fieri vel acceptari vel loquendo cum debita reverentia protestatur idem Guillelmus Leronis nomine quo supra contra vos et utrumque de transgressione privi-
legiorum et libertatum dicti monasterii et hominum suorum et cuiuslibet eorum et de dampnis gravaminibus iniusticiis dampnis interesse et expensis a vobis et bonis vestris suo loco et tempore exhigendis. Petens idem Guillelmus Leronis nomine quo supra de premissis sibi fieri et tradi unum et plura et tot quot voluerit publicum
et publica instrumentum et instrumenta per vos notarium infrascriptum. Et cum ego dictus notarius vellem legere dictam cedulam dicto honorabili baiulo generali et coram eo idem baiulus generalis in presentia dictorum testium dixit quod habebat ipsam cedulam pro sibi lecta et publicata. Et nichilominus petiit translatum de dicta cedula
et contentis in ea nec non de privilegio de quo in dicta cedula fit mentio et sibi prestari de beneficio duorum dierum ad respondendum predictis et quod non currat sibi dies quousque habuerit de predicta cedula et privilegio translatum. De qua cedula tunc fuit incontinenti traditum translatum dicto honorabili baiulo
generali in presentia dictorum testium per me notarium antedictum. De quibus omnibus et singulis dictus Guillelmus Ledon procuratorio nomine quo supra petiit sibi et dicto monasterio fieri dari et tradi instrumentum et instrumenta publicum et publica unum et plura et tot quot petierit et habere voluerit in testimonium premissorum.
Postmodum predicta ipsa eadem die sabbati hora paulo ante pulsationem completorii sedis Gerunde fuit traditum translatum dicto honorabili baiulo Cathalonie per me dictum notarium de quodam privilegio regio quod privilegium de verbo ad verbum sequitur in hunc modum. In Christi nomine. Sit notum cunctis quod
nos Petrus dei gratia rex Aragonum et comes Barchinone attendentes paupertatem monasterii sancti Danielis Gerunde et sororum ibi existentium deo et eius matri quibus laborare videntur subvenire volentes ob remedium anime nostre et parentum nostrorum damus concedimus et laudamus dicto monasterio et ab-
batisse et sororibus eiusdem presentibus et futuris in perpetuum quod ab hac hora in antea nullus baiulus nullus vicarius nullusque alius homo noster vel alienus vel extraneus vel alius cuiuslibet cavalcate Aragonensium vel aliarum gentium transeuntium per terras Cathalonie vel mare vel occasione bovatici
monetatici succursus questie tolte vel alicuius forcie aut alicuius cuiuslibet modi qui dici et intelligi vel nominari possit ipsi monasterio vel abbatisse aut sororibus eiusdem substitutis vel substituendis vel eorum hominibus aut honoribus quos nunc habent vel in tempore [illegible] alicubi habere
adquirere aliquid querere audeat vel comendare [illegible]. Statuimus ergo cum hac carta perpetuo valitura et mandamus omnibus baiulis et vicariis et aliis quibuscumque hominibus nostris vel alienis ut nunquam de cetero in predicto monasterio sancti Danielis et hominibus et feminis et possessionibus eius [illegible]
et tenedonibus aliquid exhigere attemptet ullomodo ulla occasione ulla voce vel causa set ipsum monasterium et abbatissa et sorores eiusdem presentes et future et omnes homines et femine earum et honores sint semper franchi liberi quiti et immunes ac penitus alieni per nos et omnes successores nostros
ab omnibus supradictis et singulis et eorum qualibet solutione et demanda per secula cuncta sic melius plenius et utilius dici et intelligi potest ad profectum supradicti monasterii et abbatisse et sororum eiusdem presentium et futurarum. Preterea pretaxatum monasterium et abbatissam et sorores presentes et futuras
et omnes res earum mobiles et inmobiles et se semovientes ubique sub nostra emparancia securitate custodia et ducatu recipientes et ipso statuentes mandamus firmiter precipientes quod nullus de gratia nostra confidens audeat eis vel earum quibuslibet rebus aliquod malum dampnum gravamen vel districtum
facere vel inferre quoquomodo. Mandamus iterum firmiter et districte universis baiulis et vicariis et aliis hominibus nostris presentibus et futuris ut prefatum monasterium sancti Danielis et abbatissam et sorores presentes et futuras et homines et feminas et res et possessiones earum universas tamquam
nostras proprias manuteneant fideliter et defendant et nullo permittant in aliquo molestari omnia iura earum eis ubique illesa et illibata servantes. Quicumque autem contra hanc cartam nostram venire in aliquo attemptaret iram nostram et indignationem incurreret et insuper pro solo ausu et [illegible] nostro
in mille aureis a nobis sine aliquo remedio puniretur. Data Barchinone quarto idus iunii anno domini incarnationis millesimo ducentesimo octavo per manum Ferrarii notarii. Signum + Petri dei gratia regis Aragonum et comitis Barchinone. Huius rei testes sunt Michael de Lusia, Gaufridus vicecomes
de Rocabertino, Guillelmus Raimundi de Montecateno senescalcus, dompnus Guillelmus episcopus Ausonensis, [illegible] Pardi, Dalmacius de Crexello, Bernardus de Belloloco maiordomus, dompnus Petrus [illegible], dompnus [illegible] Petrus de Crexello, Guillelmus de Belloloco, comes Sancius, [illegible]
[illegible] de Palacio, Bernardus de Belloloco. Signum [illegible]. Ego Ferrarius notarius domini regis hoc scribi feci mandato suo loco die et anno prefixis. Postmodum predicta nona die lune hora paulo ante pulsationem vesperorum sedis Gerunde dictus honorabilis baiulus Cathalonie generalis constitutus personaliter
intus dictum hospitium discreti Bernardi de Burdillis predicti legum doctoris in presentia testium videlicet venerabilium Guillelmi Bayii et Petri Cantoni civium Gerunde ad hoc specialiter vocatorum tradidit mihi dicto Francisco Viadi notario quandam cedulam papiream quam pro responsione premissorum petiit inseri
in fine premissorum et sibi fieri dari et tradi instrumentum et instrumenta publicum et publica unum et plura et tot quot petierit et habere voluerit in testimonium premissorum. Cuius quidem cedule tenor sequitur in hunc modum. Ad predicta respondens dictus Petrus de Costa baiulus Cathalonie generalis et ea denegans qua-
tenus faciant vel facere videantur contra intencionem domini regis et iuris ac iurisdictionem et dominationem eiusdem dicit quod predictum privilegium dicti monasterii sancti Danielis habet non se extendit ad ea que in dicta prestatione continentur et multominus se extendit. Quoniam ipse nunc domino regi in tanta
posito necessitate teneantur homines laici dicti monasterii infra iurisdictionem dicti domini regis degentes eidem domino regi succurrere cum [illegible] rege Castelle qui est [illegible] ad debellandum cum dicto domino nostro rege Aragonum et ad eius terram occupandam suos fecisse apparatus inimicos
[illegible] appet manifeste dictos homines teneri et fore astrictos [illegible] debere succurrere dicto domino nostro regi et eius terre pro defensione eiusdem ac et ipsorum met hominum monasterii [illegible]. Quare dictos prestantes desistat amodo a talibus protestantibus [illegible]
[illegible] dicto domino regi et etiam sibi generali Cathalonie quod intendit et intendere tenetur dicto domino regi in casu predicto. Subiciens idem baiulus Cathalonie generalis quod ipse faciet in et super predictis sibi requisitis quod per ipsum fuit faciendum attenta qualitate facti et prout per dominum regem
traditum sibi extitit in mandatis. Et hec est. Postmodum predicta nona die veneris hora paulo post prandium vicesima quinta novembris anno predicto dictus Guillelmus Leronis procuratorio nomine quo supra constitutus personaliter intus domos scribanie notarie Gerunde in presentia testium videlicet Guillelmi de Cetina et
Petri Muri de Gerunda ad hoc specialiter vocatorum tradidit mihi Francisco Viadi notario antedicto quandam cedulam papiream quam pro replicatione predictorum petiit inseri in fine premissorum et dicto honorabili baiulo generali per me dictum notarium translatum tradi et sibi nomine quo supra fieri dari et tradi instrumentum
et instrumenta publicum et publica unum et plura et tot quot petierit et habere voluerit in testimonium premissorum cuius quidem cedule tenor talis est. Et dictus Guillelmus Leronis nomine quo supra [illegible] premissis et requisitis supra [illegible] denegans dicta et responsa supra per dominum vene-
rabilem baiulum generalem predictum contra intencionem [illegible] predicti Guillelmi et dicti monasterii faciant et facere videantur [illegible] et requirit ut supra [illegible]. De qua quidem cedula fuit traditum translatum per me dictum notarium dicto honorabili baiulo generali
die lune hora paulo ante occasum solis vicesima octava novembris anno predicto. Postmodum nona die martis hora paulo ante occasum solis dictus honorabilis baiulus Cathalonie generalis constitutus personaliter intus hospitium predicti venerabilis Bernardi de Burdillis predicti legum doctoris civis Gerunde
in presentia testium videlicet venerabilium Guillelmi Bayii et Guillelmi de Vinealis civium Gerunde ad hoc specialiter vocatorum tradidit mihi dicto Francisco Viadi notario quandam cedulam papiream quam pro responsione predictorum petiit inseri in fine premissorum et sibi fieri dari et tradi instrumentum et instrumenta
publicum et publica unum et plura et tot quot petierit et habere voluerit in testimonium premissorum cuius quidem cedule tenor talis est. Et dictus baiulus generalis persistens in responsione [illegible] ac negans replicata per dictum Guillelmum Leronis quatenus contra intencionem domini regis vel ipsius baiuli faciant
vel facere videantur dicit [illegible] et replicat ut supra idem baiulus Cathalonie generalis et hec est. Que fuerunt acta diebus horis locis anno ac presentibus me notario et testibus supradictis.

Signum Francisci Viadi notarii publici substituti auctoritate regia a Bernardo de [illegible] publico Gerunde notario qui premissis una cum prenominatis testibus interfuit et hec scribi feci et clausi. Cum raso et emendato in vii linea ubi dicitur [illegible] et in xiii linea ubi dicitur [illegible] et in xxxii linea
ubi dicitur [illegible]. Et cum supraposito in xv linea ubi dicitur gliber et in xxx linea ubi dicitur iiii.

S. Daniel.

Privilegi vell

n.º 862

Protests fets al Balle general
per lo q trencave algunns privilegis
concedits als homens propris de St.
Daniel A 13 9bre 1356.

(908)

1356.

N.º 47. Lo Procur. de St. Daniel representa a al Balle General de Cathalunya [illegible]
franquesas Reals del Monastir Homens y Habitants a qui se respost que [illegible]
en defensa de la Guerra li fa lo Rey de Castilla

GRAPR

S. Daniel.